



Secundum
Ordinem
Cisterciensis
Ordinis
per
Bernardum
Abbatem
per
Bernardum
Abbatem
per
Bernardum
Abbatem

per
Bernardum
Abbatem
per
Bernardum
Abbatem
per
Bernardum
Abbatem

CISTERCIUM BIS-TERTIUM

S E U

HISTORIA ELOGIALIS,

In qua

SACERRIMI ORDINIS CISTERCIENSIS

ANNO DOMINI 1698

à Sui origine

SEXIES, seu BIS-TER SÆCULARIS

Primordia, Incrementa, Præclara Gesta, Merita, in Eccle-
siam, Orbemque Christianum, Prærogativæ, coelitùs hu-
manitùsque concessæ, Connexiones cum Religio-
sis Ordinibus, Cœnobiorum Series
per Terras Austriacas.

Atque etiam

Personæ Sanctimoniâ, Martyrio, Laboribus Apostolicis,
Dignitatibus Ecclesiasticis, Prosapiâ, Gloriâ militari, Doctrinâ ac
Laureis illustres, intermixtis ubique Elogijs, novâ methodò recensentur.

Com. Græcol. Soc. Sijv. D. S. Aman. Viennæ 1703 **AUTHORE,**

Admodum Reverendo in Christo Patre

AUGUSTINO SARTORIO,
Sac: Ord: Cisterc: Monasterij B. V. M. de Oßeco Professo,
nuper ibidem Philosophiæ, Theologiæ Moralis, ac Controversiarum
Fidei Professore, ac Suppore: nunc Vicariatùs Bohemo-Cisterciensis
Secretariò, ac Notariò Apostolicò.

VETERO-PRAGÆ,

Typis Archi-Episcopalibus in Collegio S. Norberti apud WOLFGANGUM WICKHART,
ANNO M. DCC.



A. Bahr officij del:

B. M. W. Scul: Praga

SUB
RELIGIOSISSIMIS ac FAVENTIS-
SIMIS AUSPICIIS REVERENDISSIMORUM, ac AM-
PLISSIMORUM DOMINORUM, DOMINORUM

ABBATUM,

VENERABILIU^{AC}M DOMINARUM,
DOMINARUM

ABBATISSARUM,
SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS
PER VICARIATUM BOHEMIÆ.

Reverendissimi Domini, Domini

BENEDICTI, ABBATIS

De Ofseco, per Bohemiam, Moraviam, & utramque Lusa-
tiam Visitatoris, ac Vicarij Generalis, nec non Vene-
rabil: Virginum S. M. Magdalensæ de Pœnitentia in
Civitate Pontensi Visitatoris.

Reverendissimi Domini, Domini

HENRICI, ABBATIS

de Sedlecio, Vicariatûs Assistentis.

Reverendissimi Domini, Domini

WOLFFGANGI,

Abbatis de Aula-Regia, Vicariatûs Assistentis.

Reverendissimi Domini, Domini

EUGENII, ABBATIS

de Plaffio.

XX

Reve.

Reverendissimi Domini, Domini
FLORIANI, ABBATIS
de Wellehradio.

Reverendissimi Domini, Domini
PETRI, ABBATIS
de Nova-Cella.

Reverendissimi Domini, Domini
EDMUNDI, ABBATIS
de Fonte Beatae Virginis ad Zaram.

Reverendissimi Domini, Domini
STANISLAI, ABBATIS
de Alto-Vado.

Reverendissimi Domini, Domini
MATHIÆ, ABBATIS
de Sancta Corona.

Venerabilis D.D. THERESIÆ,
Abbatissæ de Porta-Coeli ad Tischnovium.

Venerabilis D.D. MARTHÆ,
Abbatissæ de Valle S. Mariæ.

Venerabilis D.D. OTTILIÆ,
Abbatissæ de Stella S. Mariæ.

Venerab: D.D. CONSTANTIÆ,
Abbatissæ de Valle-Virginum.

Venerabilis D.D. BARBARÆ,
Abbatissæ de Sala S. Mariæ ad Brunam.

Venerandissimorum Provinciae Antistitum, Reverendissimorum
suorum Mæcenatum ac Patronarum.

Reve-



beneficium: nil in te aut lilia hæc peccare possumus, qui flores hos in terra & è terra natos in Coelum transferimus. Hæc fatus cum socio Angelo & liliis ad fidera evolavit. Visionis veritatem mox confirmarunt sub eisdem dies quatuor Sanctorum Monachorum Igniacensium funera, qui procul dubio præsignati fuerant per illa quatuor lilia. Fortè Ecclesiasticus Cistercienses præviderit, dum olim cecinit: *Florete flores quasi lilium!*

*Floret
circa Ann.
1610.*

Occurrit hinc media inter isthæc lilia B. MICHAEL TRIQUIER Cisterciensis in Monasterio *Fontis Danielis*. Magnus hoc sæculò *Doctor Sorbonicus*; qui & ipse lilium esse voluit, sed quale Sponsa in Canticis, inter Spinis. Hinc sub capitis operimento quod nos caputium vocamus, ad imitationem Coronati Salvatoris fertum spineum gestavit, quò diu noctuque punctus & compunctus nil tam doluit, quàm quòd tam paucula membra compaterentur Coronato Spinis Capiti. Invidit in Michaële corpus reliquum Vertici non tam docta hæc quàm sancta acumina, & quæ suâ dignitate mille Academiæ lauros non tam vinceant, quàm expungerent; quare ut membra inter & caput omnem tolleret dissensum atque æmulationem, exasperavit in corpus vestem plurimâ ferreâ cuspide acutam, quæ in nuda carne tot imprimeret vulnera, quot puncta. Neque priùs hanc ille vestem exiit, quàm vitam, & tunc primùm his aculeis & punctis punctum Vale dixit, cum ex Valle hac lachrymarum ad Coelum migravit, aut si mavis, evolavit, quia tunc vel maximè Michael, id est, Angelus, cui suæ spinæ jam abiissent in pennas. Sic scilicet quod jam aut pondus aut poena est, dum carnem olim exuens, ad Patriam vehiculum & penna erit.

*Obiit An.
no 1121.*

E Gallia transeundum est ad vicinam Italiam, ibique apud Tuscos memorandus S. GALGANUS eximiæ sanctitatis Vir qui licet veriùs Anachoreta dici debeat, quàm Monachus, magis tamen ad Monachos spectare videtur, quàm ad Abbates aut Conversos, è quorum tribus classibus hic titulus constat. Is primò adolescentiæ annos multâ libidine foedaverat: Monitus bis à Divo Michaële Archangelo in somnis, ut à Veneris Castris transfret ad castra Christi, meriturus stipendia sub DEO longè majora, quàm sub DEORUM prostibulo: à Matre & propinquis ad alia consilia

filia impulsus est obrusâ sponsâ: ad quam visendâ dum per Montem sepium jam sponsus equitaret, equus arcanâ vi subitò substitit, & licet diu calcaribus à feroce juvene urgeretur, loco moveri non potuit. Memorant insuper *Philippus Serarius* & *Aubertus Miram* Authores fidi equum fuisse locutum, frustra se tantâ insanîâ urgeri, premi se posse, progredi non posse, stare Angelum ex adverso, à quo prohibeatur. Tantò motus prodigiò Galganus mentem mutavit & Sponsam, quam suò & hortatu & exemplò Cistercio alumnam dedit, & ex dote quam habuit, opulenti Parthenonis Fundatricem. Adeò nempè DEUS in nascentis Cistercii incrementis antiqua Brachii sui resuscitavit miracula, & non minori prodigiò equo Galgani, quàm olim asinæ Baalam loquelam dedit! Monitore itaque seu equò seu Angelò, sen, quod verius, ipso DEO jam aliquid supra humana meditans & audens Galganus in cacumine Montis Sepii anachoreticam vitam est exorsus sub Cisterciensium legibus: & tametsi vaserrimi communis omnium hostis insidiis desertæ olim nuptiæ, mulierùmque blandæ ideæ animo ejus frequentius obversarentur, ille tamen suo olim equò jam ipse contumacior nec latò quidem pede à proposito seu loco dimotus est, angelicâ suâ conversatione cælo propinquior quàm mundo. Prodebant Viri Sanctimoniam quotidiana & propè innumera prodigia, unde populis ad eum confluentibus jam ex Anachoreta factus Thaumaturgus, futurorum præscientiâ Propheta, Terror Dæmonum & profligator undique apud vicinos populos sanctitatis famâ inclaruit. Visitatis Apostolorum liminibus, & ab Alexandro III. benignissimè aliquamdiu habitus, atque ut se amari sciret, multis ab Eo muneribus affectus ad cellulam suam in Montem Sepium rediit: inde non multò post coelitus per ea verba ad gloriam evocatus: *Satis est, quòd laborasti, metes nunc quod seminasti*, vivere desiit, sed non benefacere; id enim Sancti solent, clientū non oblivisci, & dum obiisse dū abiisse creduntur, per beneficia ac prodigia suis esse magis præsentia. Extracta in loco sepulturæ primū parva ædicula, tandē Galgano inter Sanctos relatò excrevit in celebre Cisterciensium Alcesterium, in quo soli Monachi numerabantur centum septuaginta, demptis Conversis, quorum numerus longè major. Messis sanè multa, & operarii multi! Rogavit utique Galganus Dominum messis, ut mitteret Operarios, qui non nisi in fletu semina mitterent,

rent, & non nisi in exultatione manipulos meterent. Tales scilicet à Cistercio evocandi erant, qui eo ipso in loco ubi olim Vir Sanctus, & labores Sancti continuarent, & messem Sancti colligerent.

Obiit An-
no 1150.

Non quidem in uno Galgano stat apud Italos Cisterciensium gloria; possent plures vocari in scenam: sed nè videamur diffidere Galgano, quòd fortè sustinere non posset Vir tantus plurimorum personas, aut merita, properamus ad *Hispanias*, ubi primà fronte in Gallæcia occurrit S. FAMIANUS Cisterciensis in *Ursaria*, qui olim in Sacro Fonte dictus *Quardus* sanctimoniam vitæ, & prodigiorum famam antiquavit nomen suum dictus deinde *Famianus*: pulcherrimam sanè metamorphosi, & dignissimam, quam *Ovidius* fastis suis imisceat! Patria Famiani Colonia Agrippina, quatenus cum ampla hæreditate adolescens deseruit, nusquam revisit, novus sui sæculi & Gentis Abrahamus. Roma Urbs Sancta, Italia, Hispania, Syria, & quisquis in his terris locus Sacer est, Famiano deinceps præ patria placuit, & pro patria fuit: Annos complures insumpsit in visitandis hujusmodi locis sacris Nobilis Peregrinorum & Sanctus. Vitam subinde anachoreticam sub cujusdam Sancti Eremitæ magisterio exorsus in partibus Gallæsiæ, id vitæ genus ibidem sanctissimè tenuit annis Sex: inde in Hispanias trajiciens salutator Compostellæ Divò Jacobò in ea vicinia annis omnino viginti quinque Sylvarum sacer incola, & ferarum piissimus hospes commoratus est: cibus ei per omne id tempus solæ herbe, potus vicini fontes, victus sanè qui non voluptati serviret, sed necessitati. Sub idem tempus introducti Cistercienses noviter in Hispania sanctissimorum morum fragrantiam omne mox Regnum implevere. Non potuit latere Famianum, quod universa Hispania nosset & amaret: quare è sylvis & latebris egressus in Cistercio magnetismum sentiens, cui deinceps adhæreret, se Cisterciensibus in *Ursaria* sociavit, annos natus quinquaginta & amplius. Non multò post, quia jam aliquantum notior populi plausum & frequentiam ferre non posset, de Superiorum licentia secundo Romam profectus in ipso itinere à Divis Apostolis Petro & Paulo per visum admonitus est, ut Gallæsiam declinaret, civem revisurus sibi amicos & devotos. Loco jam vicinum sitis preserat, & quia aqua non aderat, ausus quod olim Moyses, baculo

usus